Nimirum, quia sunt multarum semina rerum;
Et satis haec tellus morbi, coelumque mali fert,
Unde queat vis immensi procrescere morbi

Lucret. de Rer. Nat. Lib. VI.

PATRI OPTIMO

FRIDERICO KRAUSS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI BORRUSS. REGIS A CONSILIIS RERUM PUBLICARUM MEDICARUMQUE ETC. ETC.

PRAECEPTORI CLARISSIMO

HERMANNO FR. KILIAN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI PROF. PUBL. ORD. DIRECTORI CLINICI OBSTETRICII BONNENSIS SOC. LIT. PLUR. SOD ETC. ETC.

PRIMUM HOC LITERARUM SPECIMEN

SACRUM ESSE CUPIT

S C R I P T O R.

L E C T O R I

S.

De pemphigo quae a Cullenio dicta sunt, ea, cum aliquo tantum discrimine, nostrae quoque aetati videntur dicta. „Hunc morbum,“ inquit, „lubenter ipse prorsus omisissem, cum omnia fere de eo dicta dubia, obscura et ambigua mihi videantur etc.“ Haec de universo neque minus de neonatorum valent pemphigo, cuius rei ut unum tantum exemplum proferamus, Martium lege, nuperrimum de hoc morbo scriptorem. E paucis autem et singulis quum de universo coniectura fieri nequeat, tantum abest, ut firma sit ad unum omnium de morbi summa consensio, ut mira incedat sententiarum et iudiciorum discrepantia ac diversitas. Inde errores et controversiae de bullarum numero, magnitudine, loco, de marginis rubore, conditione fluidi, eruptionis spatio, eaque utrum cum febri coniuncta sit nec ne. Perperam igitur neque recte quemadmodum propriorum symptomatum imago adumbrata est, morbique in acutum et chronicum divisio, item varia et prava sunt, quae de morbi origine finguntur: aliis sporadicus, epidemicus aliis, aliis contagiosus morbus esse videtur.

Quae quum ita sint, ne tironi quidem spes erepta videtur, fore ut accurata et diligenti singulorum casuum collectione et, quae ipse observaverit, vera descriptione utile aliquid et fructuosum conferat ad solvendam caliginem, qua de hoc morbo omnia quam maxime circumfusa sunt. Haec tamen si lector non talia inveniat, qualia esse volui, temporis angustiis et rei difficultate excusatum me velit, etiam atque etiam rogo.

Consilii auctor Kilianus fuit, praeceptor illustrissimus, de meque optime meritus, cui magnopere laetor oblatam mihi esse opportunitatem, ut gratias publice agam maximas.

V I T A.

Ego Gustavus Krauss natus sum Onoldi anni MDCCCXIII ante diem XI. Cal. Maias, patre Frid. Krauss, rerum publicarum medicarumque consiliario, matre Margaretha e gente Rüffershöfer oriunda, quos Dei gratia ad hunc usque diem mihi servavit. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis imbutus, in Gymnasio Onoldino, in paedagogio, quod directore cl. Esper Colmbergae florebat, in Düsseldorpensi Gymnasio per octo annos optimarum artium studio me dedi. Omnibus classibus rite absolutis anno MDCCCXXX almam literarum universitatem Erlangensem profectus a Prorectore magnifico cl. Leupoldt civium academicorum numero adscriptus sum. Anno post Bonnam me contuli, ibique a Rectore magnifico cl. Diesterweg inter academiae cives receptus nomen apud cl. Nasse dedi, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum.

Scholae, quas per quatuor hos annos frequentavi, hae sunt:

Erlangae audivi de historia naturali cl. de Raumer; de Chemia et physicis et meteorologia cl. Kastner; de botanice cl. Koch; de anatomia speciali, de physiologia cl. Fleischmann; de osteologia et syndesmologia, de anatomia comparata cl. Wagner.

In Alma F. W. Rhenana praeceptores fuere: de logica et psychologia cl. van Calker; de pathologia et semiotice cl. Müller; de materia medica, therapia generali, Cholera Indica, casuistico medico practico cl. Harless. In cadaveribus dissecandis duces mihi fuere cl. Mayer una cum cl. Weber. Zoologiam cl. Goldfuss, Mineralogiam cl. Noeggerath, anatomiam comparatam cl. Weber, artem, formulas medicas concinnandi, medicinam forensem, epizootias cl. E. Bischoff, Therapiam et specialem et generalem, anthropologiam cl. F. Nasse, Chirurgiam, doctrinam de oculorum morbis, de fasciis applicandis, de operationibus chirurgicis cl. Wutzer, artem obstetriciam, doctrinam de instrumentis obstetriciis cl. Kilian, anatomiam pathologicam, ossium fracturas et luxationes, doctrinam de operationibus in oculis instituendis cl. H. Nasse me docuerunt.

Ad practicas exercitationes me instruxerunt: in clinico propaedeutico et therapeutico cl. F. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. Wutzer, qui idem in cursu operationum chirurgicarum in cadaveribus instituendarum me adiuvabat; in clinico obstetricio, in exercitationibus in phantomate instituendis cl. Kilian; in operationibus in oculo instituendis cl. H. Nasse.

Quibus praeceptoribus omnibus, optime de me meritis, maximas, quas possum, gratias et habeo et in aeternum habebo.

THESES.

1. *Pemphigi in acutum et chronicum divisio probata non est.*
2. *De materiali variolae dispositionis causa non liquet.*
3. *Methodus romana ad febrem intermittentem sanandam maxime valet.*
4. *Chemica medicaminum divisio utilissima est.*
5. *Vaccina cum successu inserta, revaccinatio superflua.*
6. *Placenta non statim post partum extrahenda est.*
7. *Lithotritia insigne est inventum.*
8. *Etiam vivo infante perforatio nonnunquam instituenda.*

I.

CONSPECTUS HISTORICUS.

Pemphigus, (πέμφιξ syn. πομφόλυξ, bulla) *Hydroa* (Piso), *Exanthema bullosum*, *morbus vesicularis* (Deidier), *Morbus phlyctaenoides* (Burserius), *Morta* (Linné), *Affectio scorbutico-pustulosa* (Fr. Hoffmann), *Febris bullosa*, *Pemphigodes Recentiorum* (Vogel), exanthema est, bullas formans pisi vel nucis avellanae ambitu vel ampliori, margine rubro vel sine eo, liquore flavo, miti plerumque, raro acri impletas, pellucidas, interdum confluentes, nunc tota corporis cute, nunc in singulis partibus, modo cum febri, modo sine illa efflorescentes, quae brevi tempore aut exsiccantur aut rumpuntur, et liquore liberatae, maculas ex livido rubras, crustis varii coloris exinde cinctas, raro autem ulcera relinquunt, dum recentes tamen oriuntur bullae, eadem ratione decurrentes, ita ut morbus modo diutius, modo brevius persistat.

Absolutis, quae de morbi propositi denominatione ac definitione dicenda sunt, iam transeamus ad describendos singulos *Pemphigi neonatorum* casus, quos notatu dignos et ex aliis collegimus et ipsi observavimus.

Ledelius 1) totum corpusculum infantis, a matre gestationis tempore in dies fere ebria editi, vesiculis copiosis, serosa lympha refertis, notatum vidit.

Oehme 2) iam anno 1773 bullas neonatorum commemorat, aqua flavescente impletas, margine rubro circumdatas, in regione pubis ortas, deinde ad umbilicum usque, axillas et digitos extensas, et ab altero ad quartum diem exsiccatas. Nonnunquam etiam epidemice occurrentes observavit.

Osiander 3) quatuor hos casus enarrat a se ipso observatos:

CAS. I. Primipara sana forcipis ope peperit infantem, tota corporis superficie eruptione bullosa affectum, valde debilem, spiritumque aegre ducentem. Bullae haemisphaericae magnitudinem vaccinae pustulae aequiparantes, paene pellucidae erant, materia sordide albida turgidae, complures margine rubro circumdatae. Plurimae erant in fronte, ad nasum et mentum descendentes, nonnullae iam diruptae et collapsae. Biduo post partum ictero infans correptus est et die tertio bullae aut collapsae erant, aut materiam subflavam continebant. Diebus undecim post, quum pulsu febrili infans aegrotaret, extemplo novae eruperunt bullae, maxime in vertice, facie, pectore, margine non rubro, et magnitudine quam maxime differentes, sed quae sexto post die disparuere.

1) Misc. N. cur. Dec. II An. II. 1683. p. 63. 2) De morbis recens natorum chirurgicis. Lipsiae.
3) Denkwürdigkeiten für die Heilkunde und Geburtshülfe. Bd. I. S. 383.

Toto vero corpore matris ceterum sanae furunculi exstiterunt, in suppurationem transeuntes. Mensibus quinque post infans ab omni morbo liber planeque sanus fuit.

CAS. II. Primipara, in cuius graviditate, excepto fluore albo et magno harangorum appetitu, quod quoque in superiore casu observatum fuit, abnorme nihil erat, partum edidit, vernice caseosa plane obtectum, ex qua bullae in pisorum speciem praesertim in manibus et pedibus eminebant. Nonnullae etiam maiores erant, omnes autem humore e flavo griseo repletae, singulae, eaeque minimae rubore circumdatae. Eorum locorum cutis, quibus bullae verisimiliter iam in partu eruperant, e livido rubrum habebat colorem. Biduo post partum infans ictero affectus mortuus est. Sectione instituta, inventa sunt haec: in cavo abdominis liquor flavus, hepar inflammatum, maculis coeruleis obtectum, vesica fellea viridescens, bilis crassa, fusca. Quem casum Osiander lineari pictura divulgandum curavit.

CAS. III. Mater, dum ventrem ferebat, eruptione cutis sponte evanescente affecta, infantem peperit, bullis flavidis, piso similibus, in manibus pedibusque obtectum. Bullae sensim apertae, postquam multum suppuraverant, evanuerunt. Tribus hebdomadibus post iterum apparuere in facie, brachiis, pedibus, materia e glauco flavescente refertae, et variolis infantum malignis similes, in fronte quidem multae et parvae, maiores autem in genis. Alae nasales valde suppurabant, ipse apex, in quo iam dudum bullae diruperant, aspectum praebebat lividum, gangraenosum. Eadem erat digitorum conditio, et pedum et manuum. Bullarum iam apertarum epithelium corrugatum fuit; pus siccatum crustas formabat. Sexta hebdomade post partum, quum valetudinis imbecillitas in dies increvisset, infans mortuus est.

CAS. IV. Mater tribus hebdomadibus ante partum, quum ira graviter commota horrore perfunderetur, infantis motus minus, quam antea percepit. Infantem edidit sine ullo vitae signo, cuius occiput prolongatum erat, et in hydrocephalum commutatum. Epidermis multis locis erat detracta, in manu dextra bulla piso magnitudine similis, viridescens, in pedibus nonnullae similes, sed ruptae; placenta tenuis, et in externo latere maculae e coeruleo rubentes.

CAS. V. Mater quarto ante partum mense fluore albo, venerenm symptoma tamen nullum prae se ferente, laborarat. Infantis epidermis a naso, ab aure sinistra, a manibus, a pedibus usque ad suras detracta et corrugata erat; a suris autem usque ad crura permultae bullae iuglandis dimidiatae magnitudine, et nonnunquam confluentes, aderant; totum corpus tumebat et iam in putredinem transiisse videbatur.

Praeterea infans anasarca atque hydrocele affectus, nihilominus per semihoram vitae signa proferebat. Manuum et pedum, epidermide privatorum, color lividus aqua tepida rubeus factus est.

Quae ex sectione apparuerunt, haec sunt: tela cellulosa inter peritonaeum et abdominis integumenta aqua flavescente erat repleta. Intestina tenuia expansa, multis locis imflammata, meconium tenax, extracti inspissati consistentia. Mesenterium et mesocolon aeque ac interna peritonaei superficies inflammata. Vesica urinaria inanis, lien coloris nigricantis. Vesica fellea plane fere in hepatis substantia insaecata, mucum tantum ex albido griseum et aerem continens. Pancreas et glandulae mesenteriales durissimae. Corpus suprarenale dextrum cum hepate coaluerat. Tunica externa intestinorum a vasculosa facile detrahi potuit. Vena cava et auricula cordis dextra sanguine nigro impleta. Pulmones inflati et punctis rubris notati. Crinita capitis cutis incisa aquam effudit, ei similem, quae inter peritonaeum et abdominis integumenta continebatur.

Consbruch 1) sub nomine „Heidenpocken" eruptionem bullosam commemorat, maxime cum pemphigo convenientem, et quae in neonatis pauperae praecipue classis et rure haud raro occurrat. Primis post partum diebus bullae pellucidae in conspectum se dabant variae magnitudinis, minores pisum, tonsillam maiores forma et magnitudine adaequantes, sine rubore, humore limpido diebus tertio vel quarto vel quinto flavescente, dein albicante, turgidae. Tum diruptae, macula rubra relicta, mox sanabantur. In partibus vero integris et sanis novae usque exsistebant et quidem ad quartam hebdomadem, ita ut tandem totum corpus excoriatum videretur, novamque epidermidem nancisceretur. Sola facies intacta manebat. Capitis crinati bullae loca magna calva relinquebant. Liberi, in hunc morbum delapsi, perpetuo vagiunt quidem, neque tamen febri nec spasmis laborant, nec deest potandi cupido. Excretiones sunt normales. — Tertia demum hebdomade infantum uni viribus debilitato bullae collabebantur, et partim plane evanescebant. Adveniebant spasmi, et balneo tepido novae bullae. Nihilominus infans ille sub spasmis occubuit; duo morbum feliciter superarunt.

Ring 2) infantem observavit, in quo triduo quatriduove post partum bullae fere quatuordecim permagnae, subrotundae, in pectore efflorescebant. Ipse infans neque in eruptionis stadio, neque in totius morbi decursu aegrotabat. Bullis integumentorum pressura diruptis, loca affecta, cerato simplici imposito, brevi sanata sunt.

Stockes 3) describit pemphigum infantilem, in plebe Hibernica iam saepius observatum, eumque pemphigum gangraenosum nominat. Insidebat aurium potissimum superficiei dorsali. Bullis refert praegressam esse paululum prominentem partium adiacentium lividam suffusionem. Bullae biduum triduumve crescentes dirumpebantur, liquorem clarum quidem, sed foetentem, nonnunquam etiam flavescentem, puriformem effundentes, et in ulcera odoris foetidi, margine cinereo commutatae, quae mox amplificatae, auris cartilaginem a cranio separabant. Super totum meatum auditorium et oculos extensa, coecum aegrotum reddebant. Decimo ad undecimum diem mors sequebatur, convulsionibus praegressis.

Willan 4) pemphigi mentionem facit, quo nonnullos infantes debiles, emaceratos, cute sicca corrugata, maxime statim post partum affectos, doloribus, agrypnia, febri vehementi paucis diebus post mortuos vidit. Bullae parvae primum et limpidae erant, maiores deinde margine e livido rubro circumdatae. Diruptas suppuratio secuta est, ultra bullarum fines extensa et magnos dolores excitans.

G. W. Stein 5) mai. n. infantem demortuum, G. W. Stein min. n. viventem cum pemphigo connato in mundum editos commemorant.

Schmidt, Vindobonensis, in infante quinque post partum horis demortuo, loca vidit rotunda, pisi magnitudine, excoriata, quorum alia sanare iam coeperant, alia, uti in pollicis superficie interna, materiam purulentam secernebant.

---

1) Huf. Journ. d. prakt. Heilk. Bd. XXVII. S. 108. J. 1808.

2) Sammlung auserles. Abhandl. f. prakt. Aerzte. Bd. XIII. p. 624.

3) Med. and Phys. Journ. Vol. XIX.

4) Cuteaneous diseases p. 587.

5) Nachgelassene geburtshülfliche Wahrnehmungen. Marburg.

Lobstein 1) casum pemphigi connati observavit, eumque satis accurate descripsit, imaginemque addidit. Summa observationis haec fere est:

Mater, quum quarto graviditatis mense eruptione psorica, tribus hebdomadibus post ungento citrino sanata, laborasset, infantem edidit statu asphyctico. Qui frictione aliisque remediis, quibus vita revocatur, adhibitis, respirare quidem et clamare coepit, hora tamen post obiit. In superficie pedum plantari manuumque dorsali bullae erant, fundo rubro, humore limpido impletae. Malacia placentae non foetentis aderat, et ob hanc illa in singulos lobulos erat partita. In genis multa puncta purpurea, petechiis similia, nasale dorsum, et mentum glandulis sebaceis consertum. Ad superficiem manus dextrae volarem bullae duodecim erant, numero graduum 1—4‴, omnes ortae, ut videbatur, epidermide a corio elevata. Basi rubra aliae erant, aliae rosaceo colore. In dorso manus bullae quatuor iam collapsae. Manuum color in partu ruber, lividus post mortem. In sinistra bullae decem. Pedes eodem colore erant, bullis paucioribus quidem, sed maioribus, iisque turbido humore repletis. Viginti dexter, sinister septem bullas diametro ½—7‴ habebat. Sectione instituta haec apparuerunt: In pectore pulmones pallidi, neque primo aspectu, neque digitis compressi aerem continere videbantur. Uterque in aqua frigida natabat. Aer inflatus partem quandam, eamque in aqua natantem non penetrabat. Pulmonis dextri lobulus superior innumeras maculas purpureas petechiis similes offerebat. Cor magnitudinem annieuli aequiparabat. Pericardium aquae flavescentis, gelatinosae parvam copiam continebat. In cavum abdominis aqua cruenta effusa erat. Ieiunum ita contractum erat, ut valvulae peculiares satis clare inspicerentur. Hepatis ambitus iusto maior, in hypochondrium sinistrum se extendens, ad fossam iliacam descendebat dextram. Vesica fellea, paululum extensa, parvam copiam continebat muci flavescentis, qui vesicae parieti inhaerebat. Lien quoque volumine erat iusto maiore et insignis capsula glandulae suprarenalis sinistrae, magnitudinem et foetus et adulti normalem multo superans, quippe quae longa esset 1″ 8‴; lata 1″ 4‴; crassa 5‴; pondus glandulae renis pondere maius, una cum eo, nulla in re discedente, drachmarum erat sex. In rene et glandula suprarenali dextra nil erat, quod normae non responderet. Lobstein in calicem renalem, capsulae proximam, et cum eo ramos communicantem, quum aerem inflasset, intrahat fluidum in cavum corporis glandulosi, quod expandebatur. Parenchyma vero, parietem cavi formans, aer non penetrabat. Tela erat fusca, mollis, digitis facilis compressu.

Carus 2) de duobus infantibus cum pemphigo natis haec narrat: Secundo alter, alter die octavo obiit. In hoc bullae diruptae sanguinem tenuem, resolutum usque effundebant. Triduo post, umbilico ante iuste resoluto, ex umbilici vasis haemorrhagia, ne ferro quidem candente oppressa, accessit; mortui infantis ureteres ad triplicem fere ambitum extensi erant; ceterum nec renes, nec aliud quidquam a norma discedebat.

Elias a Siebold 3) hos casus narrat: infantem, cum ederetur, abdomine fuisse maxime extenso, duro, totumque corpus multis et rubris maculis consertum, quae, epidermide privatae, magnitudinem haberent semigrossi vel grossi, unde probari, infantem iam in utero pemphigo laborasse. Maculas in suppurationem transiisse, atque fundum rubrum relinquentes exsiccatas esse.

---

1) Journal complémentaire du dictionaire des sciences médicales. T. VI. p. 3. Paris 1820.

2) Salzburger med. Zeitung 1821. Bd. II. S. 155. 3) El. v. Siebold Journ. f. Geburtsk. Bd. IV. H. 1. S. 17. 1823.

Infantem 1) alterum a matre scrofulosa cum pemphigo editum, triduo post balneis saponatis adhibitis evanescente, observavit.

Eduard a Siebold 2) infantis mentionem facit, cum eruptione cutis pemphigo simili nati, bullarum parte iam in utero dirupta. Balneis in usum vocatis exanthema remotum est.

Beer 3) quinto post partum die in facie, collo, genitalibus, manibus pedibusque pemphigi bullas observavit, erumpentes, magnitudine semioboli ad thalerum, easque in manibus ita accumulatas, ut epidermis chirothecae instar detraheretur. Die octavo infans e vita discessit.

Hinze 4) de pemphigo neonatorum ita exponit: In nulla Germaniae provincia pemphigus saepius, quam in Silesia, occurrit, quo quatuor plerumque haud raro sex inter decem neonatos afficiuntur. Apparere solet triduo post partum, nonnunquam paulo post, et quidem cum leni affectione febrili. Bullae diversa magnitudine, primum plerumque in capite, dein in ceteris corporis partibus existunt. Post eruptionem, incertis spatiis exorientem, evanescunt insultus febriles, remanent peculiares tantum quaedam et secretionis et alvi et urinae commutationes. Quo magis bullae sunt evolutae, et quo minoris diametri, eo similiores variolis sunt, praesertim varicellis. Materiam continent serosam, triduo quatriduove post in puriformem mutatam. Rubore sunt circumdatae, et singulas corporis partes occupant. A variolis distinguuntur forma non rotunda, et maiore, et eo, quod subito et exoriuntur et evanescunt, et suo modo exsiccantur. Quum aut sponte, aut causa externa aperiantur, effluit materia, quae diruptum epithelium et cutem inflammatam tegit, crustamque format valde tenuem, et quae aliquot diebus post, cute rubra maxime sensibili relicta, delabitur. Eruptio saepe novem diebus finitur, suppuratione et exsiccatione morbus ad tertiam hebdomadem raro prolongatur; rarius denique pemphigus singulas tantum partes, ut caput, dorsum, extremitates occupat. Rarissime occurrit, ut bullae, quae antea benignae fuerant, in maligna ulcera et pertinaces capitis eruptiones transeant, id quod praecipue bullis magnis, capite pemphigo affecto, munditie neglecta, timendum.

Merrem 5) haec: primipara aetatis anno vigesimo tertio edidit puellam debilem, macram, genitalia ac pedes bullis, pemphigo similibus, obtectam, quae, balneis mixturaque manata in eruptionem cutis alvique obstipationem frustra adhibitis, die post partum undecimo morte occubuit.

Busch 6) infantem commemorat pemphigo connato valde affectum, tertioque post ortum die emortuum.

Sachse 7) pemphigum neonatorum saepissime dicit occurrere, sed neque febri, nec aliis complicationibus malignis coniunctum, medico raro tantum observandi dare occasionem. Infantes cum hac eruptione vel nasci, et bullas tum esse turbidas, vel limpidas, vaccinae instar, sine impressione, post partum demum provenire. Mox vero, nonnunquam iam post aliquot horas, turbidas fieri, liquore primum aquoso, mox crassiore, puriformi. Omnes corporis partes bullis affici, minoribus plerumque in capite. Exortas e levi et albida superficie bullas celeriter accrescere, singulasque existere; materiam, quam contineant, flavescere, et epidermide corrugante inspissari, nisi, quod saepissime accidat, pellicula tenuis rumpatur, tumque locus subruber, nunquam vero erosus succe-

1) El. v. Siebold Journ. f. Geburtsk. Bd. VI. S. 196.
2) Dasselbe Bd. XI. H. 2. S. 219.
3) Huf. Journ. d. prakt. Heilkunde. April 1825. S. 113.
4) Dasselbe April 1826. S. 90.
5) Gem. deutsche Zeitschrift f. Geburtsk. etc. Bd. I. S. 607.
6) Ebendaselbst Bd. IV. S. 307.
7) Ideen der Diagnostik von Wichmann. Herausgegeben von Sachse. Hannov. 1827.

dat, quippe qui iam ante partum bullas adfuisse probet. Bullas vel primo vel secundo die extinctas alias sequi, itaque morbum unam vel tres hebdomades perdurare.

Billiard 1) puellam observavit, menses quatuor et dimidium natam, diarrhoea vehementi laborantem, pallida facie, somno inquieto, potionis appetitu exiguo. Triduo post lingua aphthis erat obteeta, mucosa buccarum membrana in cavo oris rubescens, pulsus nonaginta ictuum, urina larga, diarrhoea, faeces flavae; die post buccae bullis consitae parvis, pellucidis, partim granum cannabinum, partim lentem adaequantibus magnitudine. Omnes in medio maecularum subrubrarum exsistebant; eruptio dolores augere non videbatur, licet cute sicca et arida. Quae erant in facie bullae, aut collabebantur, aut ab infante radendo recludebantur. Semper vero crustae superficiales, flavescentes, orbiculo rubro circumdatae se ostendebant. Perdurabat diarrhoea, affectio membranae mucosae linguae per totum oris cavum extendebatur, in marasmum infans incidebat, pulsus ictus centum decem erant ad quindecim. Tum bullae, quae erant in collo, superioreque thoracis parte, efflorescebant, minores tamen iis, quae faciem obtegebant, et quarum crustae simul decidebant, maculam rubram relinquentes. Idem erat colli bullarum decursus, quarum nonnullae iterum crusta flavida obtegebantur. Porro per totum thoracem se diffundebant, vomebat infans, color pallidus et marasmus augebatur, pulsus minor et frequentior, infans paulo post moriebatur. Sectionis summa haec erat: Cerebri vasa sanguine turgida, lingua et velum muco obtectum, oesophagus lividus, rubescens, intestini crassi tunica interna humida, aeque ac ventriculus striis maculisque rubris obtectus. Hepar sanum, pulmones et cor sanguine repleta.

Schütz 2) casum narrat hunc: infans male nutritus, sine ullo vitae signo natus, cum placenta cohaerebat, atque cute erat albida. In collo bulla rubescens erat sesquipollices longa, prominens. Umbilici ambitus, qui magnitudine thaleri imperialis erat, speciem sanguinis suggillati habebat; scrotum nigricans, sine epidermide. Die tertio, quum inspectio legalis institueretur, cadaveris putrescentia iam satis progressa erat, epidermis nihilominus ubique, praesertim in bullae ambitu, firmiter adhaerebat. Oculorum palpebrae lividae erant, locaque quaedam livida, sicca, duriuscula, in dextro oculo, in dorso manus sinistrae minora, maiora in pedis sinistri dorso; regiones lumbales, dorsumque sine epidermide. In ambitu epidermis arcte insidebat. Scroti superficies antica excoriata, cruori nigro similis, posterior subnigra. Colli bulla liquorem continebat fuscum, cruentum. Sectio non instituta est. Foetum pemphigo correptum fuisse, et bullam supra descriptam easque, quae in locis epidermide privatis antea adfuisse viderentur, minime ex putredine prodiisse contendit: bullarum enim numerum post partum non crevisse, bullamque supra descriptam, ubi putredo non erat, effloruisse, cuius quidem in circuitu epidermis firme adhaesit. Foetum aegrotasse putrescentia tertio iam post mortem die nimis progressa existimat.

Joerg 3) bullas plerumque primis post partum diebus aut hebdomadibus provenire dicit, neque vero pemphigo adultorum, nec variolae similes, quare perperam nomine „Scheelblattern" vocentur. Inflammatione non praegressa bullas haemisphaericas prorumpere, mox ad magnitudinem nucis avellanae dimidiatae auctas, nonnunquam maiores etiam et sero flavo, postea albescenti cras-

1) Krankheiten der Neugebornen aus dem Franz. frei bearbeitet von Meissner. Leipz. 1829.

2) Henke Zeitschrift für Staats-Arzneik. 1829. II. 4. S. 355.

3) Handbuch der Kinderkrankheiten. S. 492.

siorique impletas. Quae nisi apperiantur, celeriter exsiccando crustas mox dissolubiles formari. Bullas paucas quidem haud multum valere ad valetudinis conditionem, plures autem dolores saepe et febrem provocare et nutritionem turbare.

Meissner 1) infantem vidit bene nutritum, tota corporis superficie aequaliter pemphigo affectum, solius naturae vi in lucem editum.

His omnibus adiungantur ea, quae de pemphigo connato in clinico nostro obstetricio a me ipso observata sunt:

Huius anni mense Iulio primipara undeviginti annos nata, constitutione robusta, statura media in clinicum obstetricium recepta est. Matrem ante quatuor annos phthisi pulmonali aetatis anno quadragesimo secundo obiisse, patrem sanum septuaginta duorum annorum adhuc in vita versari referebat. Duos sibi esse narrabat consanguineos, omnino sanos, seque primis vitae annis nunquam aegrotasse; menses decimo tertio anno primum fluxisse, et per ternos quaternosve dies fluentes tertia quaque vel quarta hebdomade rediisse. Ante quindecim fere menses, coitu peracto, pudendorum labia maiora singulis locis intumuisse, rubuisse, moxque ulcera orta esse fundo fusco et marginibus elatis. Medicum consultum medicinae fuscae guttas quatuordecim ter quotidie sumendas praescripsisse, et lacinias mixturae rubrae imbutas in vaginam inferendas. Quibus remediis, plus semel adhibitis, mensibus sex praeterlapsis ulcera sanata esse; ingressu se dolores percepisse. Ulcera dein in vaginam quoque ascendisse. Tribus vero hebdomadibus post sanationem gravidam se factam; praeter nauseam in ecclesia per omne graviditatis tempus bona fuisse valetudine. Haec sunt, quae ipsa aegrota narrabat, cum nobis observanda traderetur. Iam die secundo mensis Augusti doloribus afficiebatur, qui in regione sacrali orientes ad genitalia se extendebant, et per totam noctem intervallis inaequalibus redibant. Tribus abhinc diebus se motus infantis non amplius percepisse contendit. Postquam portio vaginalis evanuerat, orificium uteri dilatabatur. Mane doloribus fortioribus saepiusque redeuntibus affecta, postquam aquae effluxerant, iusto modo peperit.

Infans matura imbecille et vagiebat et spirabat, quapropter aqua frigida inspersa balneo tepido lavabatur. Color initio lividus, deinde e livido ruber erat; capilli fusci et satis multi; faciei color e livido ruber, frons, nasus, labia, mentum glandulis sebaceis largiter obtecta. In nasi radice, in angulo oculi sinistri interno maculae erant quatuor ex albido lividae, quae diametrum habebant 2—3‴; in dorso nasi bulla flavescens, siccare iam incipiens, eiusdem magnitudinis. In abdomine extenso, subduro maculae irregulares subflavae, parum elatae, longae circiter 1′, latae plus quam ½″, nullis plicis et sulcis. Haec erant bullae exsiccatae, quas, nisi accurate inspexisses, non animadvertisses. Epidermis his in locis facile detrahi poterat. Antibrachiorum pars inferior, manuum digitorumque superficies volaris violacea erat, tumebat, multisque bullis maioribus minoribusve obsita erat. Bullae erant partim separatae, partim confluebant, forma modo subrotunda, modo irregulari, colore flavo, partim limpido, partim ex albido marmorato. In centro bullae ad tres usque lineas elatae. Digitorum quoque superficies volaris, apicesque maxime ad ungues usque illis bullis obsitae. Superficies vero dorsalis manuum digitorumque colore erant, quem nominare poteris e livido rubrum, bullis minoribus, forma rotundioribus, diametro 1 — 3‴; bullarum circumferentia colore violaceo notata. Duae in singulis manibus crustae fuscae, tenues erant, dia-

1) Forschungen des 19ten Jahrhunderts. Bd. VI.

metro 2—4'''. Huiusmodi crusta sublonga, ceterisque maior, manus dextrae latus radiale semicirculi instar circumdabat. In crustarum circuitu epidermidis vestigia conspicua. Maculae subflavae, quibus abdomen obsitum fuisse iam supra commemoravi, in antibrachiis quoque, minus quidem distincte, se ostendebant, bulla neque exsiccata, nec rubore circumdata ad latus ulnare antibrachii dextri prope ad cubitum prominebat. Pedes aeque ac manus in superficie volari tumentes, eodem, quo manus, colore violaceo, similibusque bullis, maioribus etiam obtegebantur. Praeter has bullas maiores et flavas, multo minores erant in planta pedis, grani milii magnitudine, albidae, acervatim accumulatae. In dorso et pedis et manuum bullarum numerus, etiam minorum, non erat idem, et loca quaedam subrotunda, fusca, sine epidermide. Maior vero locus epidermide reclinata ruber, subrotundus, humidus, diametro 6''', in planta pedis dextri ab latere radiali fere ad ulnare usque se extendebat. Bullae singulae magis minusve exsiccatae in extremitatum inferiorum latere postico ad nates usque ascendebant.

Quae omnia sufficiant ad ea intelligenda, quae in infante se ostendebant, et ad quorum meliorem notitiam tabula lithographica adiecta est.

Tali in conditione infans ad posterum diem permansit. Per totum hoc tempus bullae paullulum crescebant, dirumpebantur nonnullae, liquorem effundentes flavum. Infans, nullo doloris signo, usque debilius respirans, postridie mane obiit.

Iam transeamus ad ea, quae in sectione cernebantur. Bullis apertis liquor effluebat, limpidus, aqua densior, colore stramineo, flocculos ex albido flavescentes continens. In corio ita denudato epidermis iam nova, albida, tenerrima conspicienda erat, facilis detractu.

Cerebrum molle, vasa venosa turgida, sanguine nigricante, coagulato. Ventriculi normali fluidi copia referti. In cavo oris nihil contra normam. In pericardio liquoris gelatinosi, flavescentis, cum liquore, in bullis retento, omnino convenientis, drachma dimidia. Pulmonum color e rubro marmoreus; aere satis impleti thoracis cavum omnino occupabant. Cordis et atria et ventriculi sanguinem continebant nigrum coagulatum, eundem, quo et venae maiores tumebant. Abdominis cavo aperto liquoris eiusdem, qui erat in pericardio, drachmae duae et dimidiata effluebant. Liquor ipse ubique sub peritonaei superficie externa diffusus peritonaeo inciso effluebat. Hepar iusto plus in hypochondrium sinistrum se extendebat. Diameter transversa 5''; altitudo 2'' 10'''; densitas lobuli dextri linearum 11. In vesica fellea parva liquoris copia ex albido subflavi, flocculos albidos continentis. Pancreatis substantia iusto durior; intestina atque mesenterium vasa multa minoris voluminis sanguinifera habebant. Glandulae suprarenales normam excedebant; sinistra cum diaphragmate coaluerat, et quum discinderetur, liquoris effundebat fusci, sanguini non dissimilis, drachmam unam; longa erat 1'' 2'''; lata 1'', crassa 4'''. In dextra nihil simile; volumine a sinistra haud multum superabatur. Glandulae mesenteriales paullulum tumescebant; renes a norma nulla in re discedebant, ureteres vero crassiores erant, quam esse solent. Lienis quoque volumen normam superabat.

Primis post partum diebus puerpera plane valebat: quarto autem post in interna dextri labii maioris superficie, et ipsa oedematose tumescente ulcus ostendebatur, grossi magnitudine, subrotundum, albido fundo, marginibus distinctis, et paullulum sursum inclinatis, rubris. Post aliquot dies rotunda in angulatam formam mutabatur, circuitu tamen non ita multum aucto. Die post partum duodecimo aegrota, e clinico discedens, observationi nostrae detracta est.

II.

EPICRISIS.

Ex omnibus hucusque allatis elucet, nomen pemphigi neonatorum scriptoribus illis non solum ad casus morbi connati pertinuisse, sed etiam ad eos, in quibus pemphigus aut primis post partum diebus aut posteriore aetate infantili provenerat, dum ab anno vitae tertio (Naumann 1)) pemphigo adultorum adiungitur.

Observationum pars longe maior ad pemphigum pertinet post partum exortum, connatus multo rarius observatur.

De prodromis eruptionis aeque ac de complicationibus hoc tantum refertur, modo cum febri (Hinze, Joerg, Willan, Osiander), modo sine ea (Sachse, Consbruch) bullas provenire. In eo, quem Billiard observavit casum, diarrhoea, aphthae, faciei color pallidus antecessere.

Locis, ubi bullae proveniunt, maculam primum conspicis albescentem grani milii magnitudine, deinde se elevantem, crescentem, flavescentem, bullamque formantem; quae macula albescens, num ex rubro loco prodeat, num rubore bullae circumdatae sint, nec ne, de eo observatores non consentiunt. Ex Sachsii observatione bullulae limpidae in superficie laevi, non rubescente proveniunt, neque unquam confluunt. Billiard bullas in mediis maculis erythematosis, Joerg inflammatione non praegressa orientes animadvertit; Stockes suffusionem lividam bullis praegredi narrat; Hinze et Oehme cum margine inflammato, Osiander et Lobstein in eodem infante et cum circulo rubescente et sine eo bullas observaverunt. Quibus ex observatis sequitur, ruborem in bullarum ambitu modo deficere, modo adesse, modo in eodem aegroto bullas et rubore affectas et sine eo occurrere, et errare, qui pemphigi proprium putent, cum rubor adsit, vel non sit.

Memoratu haud indigna in casu nostro violacea illa erat superficies, cui et in manibus et in pedibus bullae insidebant, atque inde turbata cutis vitalitas ac functio, bullis magnam in copiam accumulatis, concludi fortasse potest. Iam Reilius „ubi illae," inquit, „non vigent, cutis violaceus est color;" nec non Rustius in libro nuper edito colorem cutis in cholera coeruleum eius mortem significare animadvertit. Pro qua re nec non cutis conditio certat, massae similis, et si

1) Handbuch der medic. Klinik. Bd. III. Abth. 2.

plicam feceris, huius remansio. Nullus amplius adest turgor vitalis, quapropter quod interne agitur, diarrhoea, vomitus nihil nisi antagonistica reflexio habenda est. Cura igitur eadem sit oportet, atque eius, qui frigore videtur confectus: iam diu abhinc frigus in utilem usum vocatum, sane quidem etiam calor et remedia excitantia, quae vero reflexionem internam augeant, cutisque mortem accelerent necesse est, aeque ac si flammas admotis lignis augeres. Sic remediis sanitatis restitutio adscribitur, sive morbus sponte decessit, sive aegrotus mortem sua natura effugit.

Ceterum res memorabilis est, colorem lividum in nigrum evanescere, in noctem, omnis lucis exstinctionem, in cutis functionis vitalitatisque eversionem, desoxydationem, sphacelum, mortem. Et memini, nuperrime in Brittannici medici adversariis me legere, quum morienti cuidam viro docto adesset classica antiquitate erudito, et qui vitam in egestate degebat, hunc identidem vetuisse, ne candelas exstinguerent, quamquam eorum, qui aderant, nemo ne minime quidem id agebat, et accensa erant duo lumina, et quum iam moriendi tempus urgeret, cum dolore exclamavit: „me miserum, exstinctae sunt faces, quae *nox!*" — Heim moribundus virides silvas vidit et prata, quae hilarem eum faciebant. Subito autem viri *nigro* aspectu irrumpere ei videbantur, quos baculo propellere studebat. Et Goethe iam moriens *lucem* efflagitavit.

Iam e sermonis consuetudine lividus color et niger obscuritatem significant, claritatem albus, flavus, ruber, in quibus oxydatio praevalet. Color e rubicundo candicans valetudinem significat, inflammationem rubicundior, et quidem intensitatis conditione; neque physiologia et pathologia tantum distant, quantum libri volunt.

A coloribus morborum nomina quoque deducta sunt, graviori ratione minusque levi, quam vulgo putatur. Talem lividam habemus febrem (Viennae 1800), aliam flavam, morbum nigrum, purpuram, rubeolam, ecthyma, chlorosin etc. Sed ne iusto plus a proposito abducamur, ad pemphigum redeamus.

De *bullarum loco* ex observationibus illis haec efficiuntur:

In primo Osiandri casu invertice, facie, pectore, in altero pariter, uti in nostro, maior bullarum pars in manibus pedibusque, in tertio et quinto in facie artubusque corporis extremis insidebat. Hinze bullas primum faciem, deinde reliquam corporis partem pervadentes observavit. Consbruch faciem solam bullis caruisse refert. Oehme bullas a genitalibus atque umbilico se propagantes, Ring pectus modo bullis occupatum, Meissner totam corporis superficiem, Stockes praecipue auris superficiem dorsalem bullis affectam vidit. Observatione dignae bullae erant nostro in casu descriptae, quum maiorem superficiei volaris digitorum et manuum et pedum partem occuparent; similia Beer et Osiander (Cas. III) observasse videntur.

Pemphigus igitur in quaque corporis parte provenit, et ne in superficie quidem volari manuum atque pedum tam raro, quam nonnulli contendunt.

Forma aeque ac *magnitudine* bullae omnino differunt.

Osiander bullas comparat cum pisis atque vaccinae pustulis. Lobstein describit bullas diametri lineae ½ ad 7; Joerg nucis avellanae dimidiatae, Consbruch pisi magnitudine ad tonsillas eas observavit, Ring magnas et ovales. In nostro diameter erat linearum ⅓ ad 8; bullae partim rotundae, haemisphaericae, partim oblongae, partim confluentes, quales et Osiander (Cas. V) observavit. Sachse capitis plerumque bullas minores, et quidem magnitudine acus

capituli, bullis, quae extremitates obsidebant, pisi magnitudinem adaequantibus; Billiard contra bullas colli atque pectoris capitis bullis minores vidit.

Bullarum color non in omnibus idem, quumque epidermis pellucida sit, a liquore pendet in iis incluso. Connatas Sachse turbide flavescentes, post partum provenientes, primum pellucidas, mox turbidas factas, eadem ratione liquorem initio aquosum, crassum purulentum animadvertit. Repugnat casus noster, in quo vel duodeviginti post partum horis bullae connatae partim pellucidae erant, partim turbidae, marmoratae. In hoc vero ad unum omnes consentiunt, liquorem bullis retentum primum clarum, limpidum, flavescentem, post aliquot dies, (duos vel tres, ut apud Hinze; tres vel quatuor vel quinque, ut apud Consbruch) albidiorem, crassiorem, puriformem fieri (cf. Joerg, Hinze, Consbruch). Colorem ex albido flavescentem, marmoratum, ab flocculis pependisse albidis humori immixtis, bullarum sectio docuit, post mortem a nobis instituta. Lobstein nonnullas colore rosaceo, Willan et ipse bullas crescere atque purpuraceas reddi vidit, Stockes bullas liquorem limpidum, foetentem, interdum flavescentem, puriformem effudisse refert. Osiander in secundo casu bullas ictero accedente flaviores factas, in tertio materia e glauco flavescente impletas, in quarto viridescentes observavit. Colorem bullarum rubescentem a sanguine pendere e vasis diruptis effluente medici consentiunt. Pariter et Plumbe inter bullas passim maculam parvam, rubescentem conspexit vasuli sanguiniferi ruptura orientem bullamque producentem; sanguinis effluvium dicit interdum sufficere ad bullarum colorem e livido rubrum reddendum.

Bullae post partum natae celeriter evolvuntur et connatae quoque crescere pergunt, et evolutione peracta (secundum Oehme post duos ad quatuor dies) aut collabuntur, dum inclusa materia resorbetur (Sachse, Lobstein), aut dirumpunt, seu sponte, seu causa mechanica, effluente materia. Quin iam diruptis bullis pemphigus connatus observatur (cf. El. et Ed. a Siebold). Tum epidermis liquore quasi macerata in corio modo remanet, et post nonnullos dies novam epidermidem subrubescentem relinquens decidit (Hinze), modo detrahitur, rubro loco relicto, corio inflammato (Sachse), et materia usque exsudante crusta tenuis, flava vel fusca formatur. Neque deest, ubi suppuratio (El. a Siebold, Schmidt, Osiander Cas. III) et ulcera (Willan, Hinze, Stockes), imo gangraena (Osiander) procreentur. Causa mechanica, integumentorum pressura ulcera maligna et exinde mortem provocari, haec sunt, quae Joergius animadvertit. In casu a Caro observato bullis diruptis continuo sanguis resolutus profluebat.

Morbi decursus, quum bullae neque simul efflorescant, neque dispareant, sed exsiccantibus aliis, aliae rursus proveniant, maius minusve temporis spatium requirit. In primo Osiandri casu triduo post partum bullae maxima ex parte disparuerant, post quatuordecim autem dies novae provenere, diebus sex praeterlapsis iterum evanescentes. Hinze totam eruptionem saepe novem diebus peragi, raro suppurationem atque exsiccationem ad tertiam usque hebdomadem extendi refert. Joerg morbum nunquam octo ad decem dierum spatium excedentem, causa vero non remota, ad tertiam usque vel quartam hebdomadem perdurantem observavit. Bullis vero acu perforatis, et sero emisso, tridui aut quatridui spatio vestigia evanescere, aut rubras tantum maculas

locis, a quibus epidermis secreta sit, remanere dicit. E Billiardi quoque sententia eruptio septem ad novem dies peragitur.

Itaque una hebdomade vel tribus post morbus plerumque decedit, raro tantum malignus et mortifer, idque tum, quum bullae in ulcera maligna et gangraenam mutantur. Neque vero tacendum, etiamsi hoc non fiat, connato pemphigo infantes saepius mox mori.

Causa vero discriminis illius, quod inter connatum pemphigum et eum, qui post partum oritur, intercedit, ex iis, quae adhuc exstant, satis explicari non potest. Non minimi momenti cutis oppressionem functionis esse, iam lividus cutis color docet, quem in nostra aegrota observavimus, neque ignotum est, quam gravissima sit cutis respiratio. Die maxime aestuoso Franklin messores observavit, tamdiu agrestibus laboribus non interpellatos, quamdiu sudor manabat, quo sedante quumque cutis aresceret, statim concidentes.

Omnia igitur de pemphigo neonatorum nota ad duas species referenda sunt, quarum discrimen pathognomonicum quale sit, non certo constat. Maior enim observationum pars morbum indicat omnino non malignum, post brevem decursum in sanitatem transeuntem (conferantur casus a Ring, Osiander cas. 1, Oehme, Hinze, Consbruch, Sachse observati), dum casus et pemphigi connati ab Osiandro, Caro, Lobstenio, nobis relati, et post partum demum exorti, de quo Willan, Stockes, Beer, Schmidt referunt, multo maligniores sunt, et plerumque mortiferi et in normali bullarum decursu, et si hae in ulcera et gangrenam transeunt.

Locus hic esse videtur dicendi aliquid de divisione maxime vulgari in *pemphigum acutum* atque *chronicum*, quorum symptomata ut diversa describant, frustra medici student. Febris et in pemphigo acuto et in chronico et adesse et deesse potest (Haase, 1) Reil, Cazenave et Schedel 2)), neque minus margo bullarum inflammatus. Prodromi naturae distinctae etiam in chronico non semper occurrunt; saepe ita exigui sunt, ut negligantur (Caz. et Sched.). Bullae neque forma neque liquore, quem continent, nec loco differunt. Bullarum decursum in pemphigo chronico ab eo qui in acuto sit, non discedere, Sachse concedit: „durare tantum paullo diutius, neque tamen tamdiu, quam Richter voluit, eruptiones novas saepius repeti, crustas fieri crassiores, humorem profundius penetrare, maculas fuscas per totum annum, cicatricesque ex variolis ortis similes relinqui, partes nec externas nec internas liberas manere, facilius morbos secundarios, oedema et gangraenam succedere.“ Bullas paullo diutius persistere, differentiam certe non probat, neque cetera a praeclaro illo medico relata, quum et in pemphigo chronico raro tantum observentur, neque in acuto plane desint. Omnino exanthematum in acuta et chronica divisio dubitationem affert, quippe quum ratio sufficiens ex ipsa conditione repetenda sit, non ex eius statu externo, insuper inconstanti et mobili; in exanthematibus, si cutis speciem spectas, iisdem febris et adesse et deesse potest, neque est, quod cutis affectio cum febris vi et conditione semper conveniat (cf. F. Nasse 3)). Acuti pemphigi spatium a Cazenave et Schedel unam ad quatuor hebdomades constitui, chro-

1) Erkenntniss u. Kur der chronischen Krankheiten. III. Bd. Wien 1820.
2) Praktische Darstellung der Hautkrankheiten nach Dr. Biett. Aus dem Franz. übers Weimar 1829.
3) Versuch einer prakt. Eintheilung der Hautkrankheiten. Berlin 1834.

nici secundum Saehse a sex hebdomadibus ad complures annos extendi, quum reputes, neque utrumque in una tantum bullarum eruptione consistere, sed, dum aliae evanescant, semper alias provocari, clare patet, divisionem illam minime convenire. Et profecto haud raro haesitaremus, quum diiudicandum foret, pemphigus utrum acutus an chronicus esset.

Absolutis his de pemphigi neonatorum decursu, iam superest, ut probemus, a nobis observatum et descriptum *vere connatum pemphigum* fuisse.

Huius rei testis est bullarum et forma et magnitudo, liquoris color naturaque. Neque minus probatur eo, quod bullae in diversis stadiis aderant: aderant enim bullulae vix provenientes albidae, maiores liquore turgidae, partim pellucidae, partim iam turbidae, permagna dirupta fundo rubro, epidermide revoluta conspicua, aliae residentes iamque exsiccatae, in manuum superficie dorsali crustae tenues fuscae. Praeterea maculae lividae in nasi radice anguloque oculi sinistri interno insidebant, humorque flavescens, tum in pericardio, tum inter peritonaeum et abdominis integumenta retentus erat.

Quae omnia sufficiant, ad morbum hunc quoque alio dignoscendum. De erysipelate tamen gangraenoso si forte quis cogitarit, colorem respiciens pedum manuumque violaceum, ei obiicimus, gangraenae, uti bulla erupta ostendit, ne vestigia quidem adfuisse. Idem testabantur bullae aliquot rubore non circumdatae et maculae ad nasi radicem exortae. Sed iam satis de diagnosi. Plura dicere non attinet de re, ab Saehsio optime exposita.

Inter neonatorum pemphigum et adultorum quid intersit, si quaerimus, negari non potest, bullas et in oriendo et in evanescendo plane easdem in utroque esse, si volumen excipias in adultis plerumque maius, quam in illis. Dum hic, connato excepto, minus malignus morbus esse solet, neque trium hebdomadum spatium excedit, illic vulgo non solum complicatior est et periculosior, sed per multos menses vel annos permanet, et serius ocius, si discesserit, denuo redit. Tum et hoc interest, quod neonatorum pemphigus inter usitatos et creberrimos a nonnullis numeratur (quamquam id non sine dubitatione concessum volumus), adultorum contra pemphigus sporadicus putatur morbus et rarus. Morbi causa licet ignota et dubium sit, in matrisne an in foetus organismo morbi semina contineantur, tamen pemphigus connatus sat multum habet, quod eius proprium sit.

Pemphigi neonatorum in plurimis libris de morbis infantum scriptis ne mentionem quidem fieri, eumque a celebratissimis medicis observatum non esse, etsi frequentissime animadverti ab aliis perhibeatur, certo offendit. Ita Hinze ex decem neonatorum numero quatuor plerumque vel sex hoc morbo affici, Consbruch haud raro, Oehme epidemice morbum occurere referunt. Etiam Schütz, quum eodem tempore tres casus observavisset, iam in utero foetum influxus epidemicos pati existimat. Billiard pemphigum acutum raro, eo frequentius chronicum apud infantes inveniri contendit. Saehse licet morbum epidemicum quidem esse neget, compluries tamen eodem tempore eo observato, ad quaestionem perducitur, num forte per obstetrices inferatur. Repugnant vero non solum experimenta a Hall 1) et aliis instituta, qui bullarum liquorem frustra insceverunt, sed etiam observationes. Haereditaria morbi dispositio a nemine commemoratur.

1) Sammlungen auserles. Abhandl. z. Gebrauch f. prakt. Aerzte. Bd. XVIII. S. 483.

De morbi *causis* in medicorum scriptis haec leguntur:

Osiandro e sectione elucere videtur, bilis et secretionem et excretionem turbatam esse, qua perturbatione, etiamsi morbus non provocetur, in peius tamen vertatur. De vera autem morbi origine nihil sibi patere. Quum vero duae matres tam insignem harangorum cupidinem habuerint, et ipse iam observaverit, pisces magnam phosphori quantitatem continere, quaestio possit esse, num forte piscium crudorum usu tanta phosphori copia in corpus inducatur, qua pemphigus excitetur?! —

Wichmann, Jahn, Wolf, Feichtmayr, Sachse, saepius pemphigum observabant in infantibus, quorum parentes syphilide vel blenorrhoea laboraverant. Idem Litzmann observabat, sed plerumque apud homines, ubi veneni venerei suspicio plane non aderat. Carus dicit: in magno bullarum numero, aut quum infantes bullis iam affecti ad lucem proveniant, vitia plerumque organismi universalia, dyscrasiam scrofulosam, syphiliticam subesse. Willan ponit, infantilem pemphigum cum erysipelate, eadem vitae aetate iisdemque causis exorto, plane convenire, pompholygem benignam apud infantes dentitionis tempore occurrere. Billiard scrofulosos plerumque et atrophos, raro vero sanos infantes pemphigo laborare affirmat. Joerg nisi in cute torpida bullas non animadvertit. Accusat igitur omnia, quae eam cutis conditionem prodncant, assimilationisque et qualitatem et quantitatem perturbent. Hac conditione nonnunquam iam in utero infantem esse, itaque sapone, immunditie vel aliis irritamentis post partum cutem celeriter ac luxuriose reagere, secretionem locis maxime irritatis provocando. Henke pro causis morbum afferentibus temperaturam habet nimis calidam, cutis curam neglectam, nutrimenti materni vitia, quibus Wendt matris dyscrasiam et aeris conditionem perversam addit. Hinze causam pemphigum neonatorum producentem in assimilatione cutisque functione tum matris tum infantis turbata positam esse censet, et rationem maxime bilis atque urinae secretionis habendam. Matres, quae graviditatis tempore saepe ac graviter systema cholopoeticum excitassent, liberos aut pemphigo aut ictero affectos in mundum edidisse; in utroque morbo et urinae et alvi secretionem magis minusve a norma discessisse. Quum efflorescerent bullae, excrementa e fusco flava, lintea crocea fuisse; quum siccarentur et solveretur crusta, normali colore et urinae secretionem auctam. Consbruch causam morbi principalem neglectam munditiem arbitratur, et transpirationem cutis impeditam.

Haec de pemphigi causis a medicis dicta tum ad praedisponentes, tum ad causas morbi proximas pertinere intelligitur. Eruptionis cum urinae secretione nexus multo saepius apertiusque observatur, quam qui negari possit. Attamen fortasse quaestio sit, impedita urinae secretio numne potius ab eruptione pendeat, quam ab illa haec. Facile enim intelligitur, largam seri in cutis superficie secretionem cum aliis corporis secretionibus antagonistice cohaerere; sedimentosa urina et in aliis morbis invenitur, et salubrem indicat crisin. Accedit, quod multi, qui pemphigum observarunt, cohaerentiam illam inter eum et interruptam urinae secretionem aut non commemorant aut non semper observarunt. Turbata igitur urinae secretio si est, certe non pro sola et perpetua morbi causa haberi potest. Phosphoricum vero acidum retineri, ut Osiandro et Haasio placet, probatum omnino non est. Neque putandum, ex phosphori usu scrofulosae puellae, quam Haase observavit, pemphigum exortum fuisse, quippe qui quatuor post annis iterum faciem impleret, et anno interiecto tertium rediret.

De pemphigi igitur causa cum tantopere ambigatur, quaeritur, num ex iis, quae ex sectione apparuere, aetiologiae certa possit constitui ratio. Horum singula iam in singulis casibus adnotata sunt, summa haec est: hepatis volumen et lienis auctum, intestina et peritonaeum per partes inflammata, bilis ex albo flavescens, ureteres amplificati, ren succenturiatus et in Lobstenii et in nostro casu mutatus, fluidum, bullarum fluido simillimum, sub peritonaeo et in pericardio collectum, venae maiores sanguine turgidae. — Quae mutationes etiamsi sufficiunt, ad morbi originem, quae Lobstenii sententia est, ex ipso infantis organismo deducendam, observationes tamen nimis paucae sunt, eaeque parum convenientes, quam ut inde certum aliquid deducere conemur. Hoc tantum in universum pronuntiemus, sectionibus abdominalium organorum morbum significari, sive causalem, sive complicatum, qui in degeneratione, aut in turbata sola functione contineatur. Tamen tantum abest, ut contendamus, pemphigi origini cum matris organismo nihil commune esse, ut bene noverimus, syphilidis, variolae, tot aliorum morborum quanta sit de matre ad foetum relatio.

Tenera infantis cutis bullarum eruptionem videtur adiuvare, eaque fortasse causa est, cur pemphigus neonatorum crebrius reperiatur. —

Quae a Sachse, Wichmann, aliis observata sunt, neonatorum pemphigo affectorum parentes paullo ante nuptias aut lue venerea, aut fluore albo, eoque non syphilitico, laborasse, ea nescio an nostro quoque casu adiuventur, in quo paucis post partum diebus in matris labio pudendorum maiore dextro ulcus oriebatur, syphilitico certe simillimum: nam aperte hac de re decernere non licet, quum in permultis primiparis post partum ulcera, veluti vere gonorrhoica, in genitalibus existant, et nostra paullo post partum observationi detraheretur. Accedit, quod pemphhigus et neonatorum et adultorum toties sine ulla syphilidis suspicione observatur, ut difficile sit, si quis morbi originem ex hac deducere velit.

In cutis conditione valde inflammatoria Haase exanthema consistere putat, e F. Nassii vero sententia in pemphigo cutis conditio est subinflammatoria, cum magna atonia coniuncta, quae quidem profecto saepius observatur, quamquam, ut symptomata, sic etiam cutis conditio non semper eadem est.

De *bullarum formatione* si certum statuere volumus, omnium primum in ea inquirendum est, quae originis momentum efficiunt, rem late patentem et quae multum abest, ut satis adhuc explanata sit. Quae Sachse indicat, bullas ex deflagratione, acredine provocata, exoriri, non magis probata sunt, quam Osiandri et Haasii de acido phosphorico sententia. Organicae vitae primum vestigium in bullis se offert, ut iam in iis, quae in fervida aqua ostenduntur, et ex saponata ortis, deinde in spuma — ex qua *Venus* orta fertur —, plus etiam in fermentantium massarum bullis; Schweaning fluida valde fermentantia animalculis infusoriis maxime repletas observavit. Bullarum forma sphaeroides est, iisque quasi constitutio quaedam unius cuiusque propria. Ipsi superiores organismi ab infusoria quadam determinatione, qua et plantariae et animales pseudo-organisationes inferioris ordinis procreantur, non abhorrent. Et hominum et animalium organismus in vegetatione continetur, neque vegetabilia ab animalibus in natura ita praerupte separata sunt, ut in libris docetur.

Experientia ostendit, primum aeris quadam constitutione, vicissitudine temperaturae, calore, frigore, aquae frigidae potatione, animi permotionibus, saburra primarum viarum. ebriositate,

venenatarum concharum et ostrearum usu, cibis aeribus, earne fumosa, maxime perna, mensibus, lochiis, haemorrhoidibus turbatis — secundum: cute tartaro stibiato infricta, cantharidibus, chemieis aeredinibus, immunditie, contactu serpentis Brasiliensis et rhois toxieodendri, et partium animalium gangraenosarum, unguentis rancidis, combustione, frigore, etc. — his igitur omnibus organismum adeo mutari, ut valetudo consistere nequeat. Contra haec ut se tueatur, omni organismo a natura vitae servandae cura tributa est (ea, cuius vicem in anorganicis, quae dicuntur, corporibus, simplex vis cohaesionis implet), qua cura discrepantia omnis dimovetur, partiumque aequalitas et ordo restituitur idque cireuitione quadam vi naturae medicatrice, aut inflammatione locali, aut febri. Hac ratione varia exanthemata et impetigines oriuntur, ad universum organismum illa, hae ad certas tantum partes pertinentes, neque tamen raro in totius corporis cachexiam transeuntes. Cernuntur exiguo cutis rubore et nodulis vel etiam bullis et pustulis, aliisque formis, neque raro in ulcerosas degenerationes augentur. Rubeola, searlatina, morbillis indicatur, plantariarum formationum conatum parum successisse, cuius rei gravior etiam testis est, quod noduli saepius se ostendunt et vesiculae, immo quod hae aeque ut varicellae, si *Medico* fides habenda sit, china et opio in pustulas ulcerosas mutantur. Pemphigus, varicellae, variola, varioloides, cuius iam nomen incertum characterem significat, vere plantariae infimi generis pseudoformationes sunt: pemphigus constructione plane simplici, ceterae eellulis constantes, et quae iam ad altiorem ordinem accedere videntur, neque tamen semper eum assequuntur.

Quod si agnoscitur, ex combustione, refrigeratione, acidis quibusdam, aliis, in cutis superficie bullas procreari, — propria aeris constitutio, caloris et frigoris subitae vices, ipsius corporis conditiones quaedam morbosae in internum organismum tantam vim habent, ut eius partes peculiari quodam modo mutentur, quae mutatio in conditione plus minusve differenti consistens, sola vi medicatrice, febrili saepe reactione e corpore dimovetur et cutem perrumpit. Exanthemata igitur ex interno processu pathologico existunt. Saepe tamen naturae auxilio illa eonditio perversa iam in interioribus partibus ita exaequatur, ut in cute omnino non significetur, ut variola sine variolis, scarlatina, si sola febri et faucium affectione se ostendit. Idem variolosorum quibusdam exanthematum eruptionibus accidit, quum in solo rubore et punctis aut nodulis appareant, et nondum evoluta, iam decidant, ut in pemphigo et variola. Neque illis ulcera propria sunt, sed potius degeneratio quaedam, ut in planta, si putrescit. Sic quoque in vaccina, praecipue in pemphigo.

Horum exanthematum origo ad generis humani incunabula ascendit, eorumque indicia minime obscura iam in H i p p o c r a t i s aliorumque scriptis inveniuntur. Et Graeci quidem iam terminis technicis satis clare ostendunt, tali interno pathologico processu cutis eruptionem exoriri. Ecthyma enim sive pustula ab Ἐκθυμιάω, evaporo, exhalo, deducitur, phlyctaena a φλυκταινοῦμαι vel ἀπὸ τοῦ φλύειν sive φλύζειν, quod est bullire, propterea quod bullae erumpuntur, in aqua fervida exortis similes.



ver
loc
mi(
ani
or;
nis
co
ae(
lo(
m
tr:
n(
ri
sa
si
c'
n
r

f:
c
]